DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

USU MEDICO IODINI.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

USU MEDICO IODINI:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

W. B. CADOGAN GRAHAM,

Scotus.

SOCIET. REG PHYS EDIN. SOC. EXTR.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXVII.

ADAMO BLACK, Armigero, M. D.

COLLEGII REGII MEDICORUM LONDINENSIS SOCIO,

&c, &c, &c,

HANC DISPUTATIONEM,

ANIMO GRATISSIMO

SUMMAQUE OBSERVANTIA

SACRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
USU MEDICO IODINI.

AUCTORE W. B. CADOGAN GRAHAM.

Iodinum Graecae originis vocabulum est. Graecis enim, "ιος," viola est, atque materia Iodini sublimata vaporem purpureo colore, qualis huic plantulae proprius est, emittit. Lutetiae Parisiorum anno salutis 1811, Iodinum inventum est a Courtois, quodam nitratis potasse confectore. Post nonnullas novae materiae dotes compertas, portionem Clementi, viro chemico se rem ultra exploraturum promittenti, tradidit. Sexto Decembris die A. D. 1813, Clemens Instituto Scientiarum Parisiensi ut corpus novum

nunciavit, dotibus ejus maxime singularibus una descriptis. Statim ad rem investigandam subiit clarissimus GAY LUSSAC. Aderat tum quoque Parisiis, flagrante de Europae libertate bello, Doctissimus Britanniaechemicus, equesque illustris, ONUPHRIUS DAVY. Ille quoque experimenta instituit, quorum eventus, antequam LUSSACUS quid juris publici fecisset, societati Regiae Britannicae renunciavit. Quanquam vero GALLUS se ante Philosophum Britannicum propriam Iodini naturam demonstrasse contendat, DAVIUS tamen serio, et conceptis verbis affirmat, " CLEMENTEM, cum ipsi Iodinum
" ostenderit, id quod acidum hydriodicum
" erat acidum muriaticum esse credidisse:
" quin LUSSACUM, post prima experimen-
" ta una cum CLEMENTE instituta, ean-
" dem collegisse sententiam, et *defendisse*,
" quando DAVIUS hydriodicum novum et
" proprium acidum ei primum se existimare
" dixit, atque Iodinum quid chlorino sub-
" simile esse declaravit."

Quomodocunque haec res se habeat, certum est COURTESIO deberi, quod Iodinum naturam propriam esse hodie compertum est. Posterioribus vero duobus viris dotes ejus chemicas concedere oportet. Inventorum quasi proprium est, vindictas ejusmodi rivales perpetuo concurrere, nec ullo modo dirimi posse; et odiis Gentilibus tunc ex summi imperatoris dolis maximopere flagrantibus, satis superque causae nostro civi erat, cur sude, quam hostili academiae, si quid reperisset, prius renunciavit.

Res qua Iodinum primum detexit COURTESIUS, fuci nimirum vesiculosi cinis, ea est quae omnium maximam Iodini copiam habet. Multis tamen aliis fucis inest, aliisque plantis quas infra in seriem redegimus.

IODINUM HABENT.

Fucus Vesiculosus	Fucus Palmatus.
Fucus Cartilagineus.	Fucus Filum.
Fucus Membranaeus.	Fucus Digitalis.
	Fucus Saccharinus.
Fucus Filamentosus.	Ulva Umbilicalis.
Fucus Rubeas.	Ulva Panum.
Fucus Nodosus.	Ulva Lunea.
Fucus Serratus.	Spongiis.
Fucus Seliquosus.	Alcyoniis.

Dr Fyfe monstravit, acidum sulphuricum infuso algae cujuslibet inspissato adjectum, vaporem Iodini extricare: qui quidem per amylum transmissus facile proditur: Bousingault nuper in aquis salinis Antioquiae, Americae Australis provinciae, deprehendit. Balarg in aquis maris Mediterranei: tanta quidem est hujus ubique copia in rebus marinis, in aquisque salinis quas mare supplet, ut in aqua omni marina

existere jure optimo credatur. Nuper quoque Germaniae fontibus salinis Iodinum inesse lego. (*Edin. Journ. Med.* Sc. V. 220.) Idem Balardus in variis molluscis, tam nudis quam testaceis reperit, in Doride, in Venere, ostreis, et ejusmodi aliis; necnon in Polypis et plantis marinis novis, Gorgonia, Zostera maxima, ceterisque. Straub in cespitum focalium cinere detexit, in omnibus fere aquis mineralibus; atque nova hujus naturae habitacula quotidie ita rapide sese ostendunt, ut admirationem hominum non amplius eliciant.

Iodinum e cineribus fuci vesiculosi littorum nostri maris paratur. Cineres, aqua tractatae, pleraeque solvuntur, atquae materia relicta ollam ferream, cui inest, corrosisse invenitur, quae res primum Courtesio specialem ejus naturam indicavit. Haec quidem materia acris hydriodas potassae est; atque si acido sulphurico et oxydo manganesi nigro tractatur, hydrogenium et potassa nova

ineunt connubia, aqua et sulphates potassae ac manganesi gignuntur, atque Iodinum liberatur. Cum vero ad gradum 351[um] F. in vaporem avolet, calore admoto purum illum violaceum seu purpureum colorem, unde nomen derivatur, constituit. Condensatum, solidum cinerei atrique simul coloris facit, cui splendor metallicus est, squamae crebrae, et universus asspectus sulphureti antimonii officinarum haud absimilis. Ejus Iodini quod in hac urbe divenditur, magna pars a Doctissimo ANDREA URE Glasguensi, e lixivii saponifici faecibus paratur. Rationem ipse plenam tradidit *Phil. Mag.* Tom. 50, necnon sub voce Iodini in Lexico suo Chemico.

Iodinum odore pungente, ut chlorinum, sapore acri, cutem tingit, vegetabilium colores corrumpit, et in universum vires chlorini aemulatur. Quam ob causam primum post inventum, nihil nisi chlorinum sub ignota vel celata forma, creditum est. Corpus

autem omnino privatum esse, tam chemica quam medica actione sua singulari satis superque arguitur.

Iodinum vix aqua solvi potest. Unum tamen ejus granum 7000 aquae granis solvitur. Facile autem alcohole ut una in duodecim partibus diluitur. Ad caloris gradum 225^{tum} F. liquescit. Gravitas specifica circa 5. Cum oxygenio, cum hydrogenio, cum chlorino facile conjungi potest, acida valde diversae indolis ita constituens; sed hydriodas potassae fere sola ex his formis est, quam medicus adhibuit.

FACULTATES IODINI IN CORPORE SANO

EXTERNÆ vel manifestae Iodini dotes quodammodo *adurentes* sunt. Odor ingratus est, sapor pungens, acris, igneus, ore diutius haerens: chartam vel cuticulam primum maculat, dein corrodit. Flavedo quam cuticulae impertit tandem evanescit. Ventriculo exceptum, Iodinum multum effectus ab aliis venenis adurentibus vix ac ne vix quidem diversos, edit. Doctissimus ORFILA tradidit in Toxicologia sua Generali, Vol. I. p. 290. eventum experimenti de se ipso cum hac materia acerrima instituti; sex grana Iodini una ipse sumpsit, et confestim calore et constrictione gutturis, nausea, eructatione, salivatione, cardialgia, correptus est. Sexta deinde horae parte secutae sunt vomitiones biliosae, largae, leves colici quasi dolores; pulsus arteriarum a 70 ad 90 ictus in eadem sexagesima horae parte acceleratus est. Mucilagine multa hausta, et enematis

tandem ad salutem rediit, nihil proximo die nisi levem quandam fatigationem questus.

Canibus plerumque 70 vel 80 grana mortem afferunt ante quartum vel quintum diem.

Nuperrime, postquam Iodinum morbis sanandis admotum est, facultatem absorbendi mirum in modum praecipitare constat; eam maxime partem apparatus ejus, quae e glandulis nascitur. Quin animalia quoque similiter afficere dicitur. Rem miram literis mandavit BOUSINGAULTIUS, quae hanc vim Iodini, quod ad corpus humanum attinet, valde confirmare videtur. Locus est Americae Australis, ubi Iodinum fontibus abundat. Guaca nominatur, regio in convalle maximi fluminis Magdalenae sita. Hujus totius vallis incolae Bronchocele obnoxii sunt, fere ad juga Cordillerarum, eo ipso tantum loco excepto, quo Iodinum invenitur; portiunculam igitur hujus cibo vel potu exceptans proclivitati ad bronchocelem

reprimendae sufficere ibi oportet. Sed hoc efficere potest, solum aequilibrio inter vasa absorbentia et deponentia conservato; et quam late differat praeventio a curatione morbi, nemo ignorat.

Iodinum Renis actionem promovere dicitur ; et experimenta WOHLER et TURNER id per eam glandulam cum urina transire clare evincunt. Indiciis enim propriis ii in urina deprehendunt, etiamsi Orfila se reperisse neget ; renes inde inflammatos "margines rugarum ventriculi inflammatae, "corrosae, ulceratae, erant, caetera naturalia:" Annotavit (anno 1814) res primum per alvum dejectas coeruleas esse, et Iodinum continere : quae autem vomitu rejectae essent, flavo colore tinctas apparere. Duodecim Iodini grana, vulneri in canis dorso admota, adurentis tantum medicamenti effectum praestiterunt : crusta albida flavescente facta, quae intra triduum separata est. Erat quidam male sanus se medicum in summa ignorantia jactans, qui nescio qua

furia motus unguentum iodidis. Zinci de Pharmacopola imperavit, uti testi suo indurato inungeretur. Hic Iodinum supposuit iodidi: et effectus ejus in cute cerebrosi manifestissime patuerunt. Belluae instar usque quaque per cubiculum circumsiluit, horrendum in modum exclamans, deosque fataque sua execrans; tantum demum dolorum sibi crudelitatem ingruere dicens, ut prae cruciatu loqui non posset. Scrotum qua unguentum tetigisset, (hoc corrugatum, contractum, induratum erat, haud alio modo quam ex meraco acido sulphurico fieri consuevit, tactum vel levissimum sine horrore fatuus tolerare nequibat. Tota genitalia fusco videbantur colore Iodino proprio atque penis itidem tinctus et contractus ludicram admodum ferramenti focarii rubigine exesi imaginem prae se tulit. Terrores aegri medicamenta quaedam *blandiora* cito cohibuerunt.

DE PROPRIETATIBUS IODINI MEDICINALIBUS.

Prima quae nobis occurrit notitia usus Iodini in arte medendi, atque praesertim in bronchocele, in dissertatione inaugurali, De Bronchocele, Benj. Pierce anno 1817 Edinae edita, exstat. Spongiam analysis chemica tum nota habere ipsum docuisset *Muriatem Calcis, Sulphatem Sodae, Muriatem Sodae, Sulphur, Ferrum cum Oxygenio, Carbonatem Calcis, Hydriodatem Potassae, Carbonium*. Hydriodatem potassae se ex Andrea Fyfe didicisse profitetur : atque hisce verbis opusculum claudit," Quantum in affec-
" tus scrofulosi generis murias calcis et fer-
" rum valeant, omnes noverunt. Neve hy-
" driodas potassae in aliquo respectu muriati
" potassae praestet, nondum, ut credo, ex-
" ploratum est : sin vero foret oxyiodas, ac-
" tuosior forsan esset, quoniam hyperoxymu-
" rias potassae tantis viribus polleat." No-

tum est Professores peregrinos per amicos suos Theses Edinenses quotannis comparare; et quae ex iis Professori HELVETICO magis attentionem extortura erat, quam quae gentis suae endemicum tam docte tractaret; Quemve professorem, quam COINDET, de filii sui apud Edinensem scholam tunc temporis collocandi conditionibus quaerentem, talis dissertatio aptiùs mitti potuit.

Proxima virtutum Iodini medicinalium recognitio a Doctore J. C. STRAUB, De HOFWYL Bernensium literis tradita est in Periodicis Actis Societatis Helveticae anno salutis 1820, scripta, uti titulus evincit; mense Decembri 1819. Typis mandata est mense Februari 1820; nec COINDET, nisi quinto mense post hanc impressionem, et septimo mense post scriptionem; secundo anno secundoque mense, postquam dissertationem Doctoris PIERCE legisse potuit, sententiam suam promulgavit. Potuit quoque STRABIUS vidisse; et ipse docet, ante inventum

suum medicos frustra compositionem arte parabilem, quae vires spongiae ustae aemularetur, quaesivisse. Quinetiam hujus conatus infelicem eventum, odoremque utriusque similem ipsi Iodini in spongia suspicionem injecisse, inde compositionem Iodino carentium inertiam sibi explicasse. Hac conjectura, uti Doctorem PIERCE supra vidimus, ductus, spongiam exploravit, et Iodini affatim invenit, atque sales ejus Bronchocele adhibuit.

Tertius de Iodino auctor Doctor COINDET Genevensis est. Gallicè scripta in 1820, 1821, dissertationes ejus, facile per Europam diffusae, Teutonici auctoris priora tentamina facile obruerunt. Multo filus quoque de Iodini usibus in Bronchocele et scrofula docuerunt se primum de ea re anno 1819, cogitasse ibi proponit ; FYFE tandem in spongia invenisse edoctus Inventum quidem et applicatio perinde facilia erant. Spongiam etiam HIPPOCRATICI temporis chirurgi adhibuerunt. Cineres

Alcyonii Cydonii Linnaei, quod spongiae genus est, *depilare, leniter adurere, ischuriam* et *sabulum* fugare, ductor est Dioscorides. Cum sale marino in vase fictili crudo, donec hoc satis coqueretur, urendi finis fuit. Hoc Alcyonium Celsi est, inter Escharotica vel adurentia et rodentia relatum. Proximo vero capite Dioscorides spongiam (officinalem nostram) eodem ac Alcyonium modo uri docet. " Cinis tumores discutit (ʼοιδη καλασ-" τέλλει) opthalmiae proficit," optimae spongiae sub luna aestiva albefactae sunt, unde fortasse superstitio quaedam postea memoranda.

Galenus formulam spongiae ustae tradit, tussibus fugandis, pituitae, quoque qua collecta glandulas tumere existimavit, dissipandae aptam. Arnoldus de Villa Nova spongiam ingenti cum fructu scrofulae adhibuit. Musitanus ipsi Bronchocele, " drachmam di-" midiam sub lingua ut linctum conservari, " jejuno ventriculo, et decrescente luna, ut vul-

gi praejudicio obsequamur," imperavit. Doctor BATES, de quo nomen remedii CONVENTRIENSIS accepit, hunc lunarum phasium respectum servavit: atque post eum, MANGETUS, CHESTON, REIVES, WILMER, PROSSER, TOWNSEND, KING, PEARSON, THOMAS, DUNCAN, omnes quidem peritissimi, spongiam laudaverunt. Formulae eaedem fere erant, quas in trochiscis Helvetii Bronchocele obnoxii passim sumere videntur.

In tanta igitur spongiae ustae existimatione, ante Iodinum repertum, cur quinque medici in diversissimis Europae angulis siti de una eademque re simul cogitarent.

DE SPONGIAE IN BRONCHOCELE USU.

NEC alia ratione Iodini usum hactenus iis morbis cohibitum videmus, quibus olim spongiae cinis propinatus est. Nulli aeque ac Bronchocele profuit, in nullo tanta ejus

fuit fama. Doctor COINDET auctor est, se ex utilitate in Bronchocele, ut in aliis affectibus Scrofulosis Iodinum experiretur, adductum fuisse. Sed prudens candidusque judex de hac translatione Iodini dixit, se quidem sub Iodino glandulas scrofulosas bene convalescere vidisse, plerasque autem suppurasse; quin Iodinum iners admodum esse, neve glandulas Iodinum in suppurationem saniorem praecipitasse, neve genus absorbentium suo more extimulasse. Doctor MANSON nuper speciosum edidit tomum, qui hanc sententiam confirmat, atque ex omnibus liquet, fata Bronchoceles ac Scrofulae, quantum ad Iodinum attinet, omnino perverti: Bronchocelen sub curatione communi longe pertinaciorem, sub Iodino faciliorem esse. Qui sequntur effectus mediocrium Iodini portionum sicut, in prosperrima illa valetudine, Bronchoceles fere comite, observati. Vis stimuli generalis in corpore toto percipitur. Ventriculum firmat, cibi cupiditatem auget, vix renes, alvum, vel cutem aperit. Uterum specifica ratione afficit, Emme-

nagogorum fere princeps. In multis glandulae thyroideae exemplis tumor evanescere incipit, cum actio Iodini etiam in hoc stadio est, nullo alio signo nisi levi quadam macie, adjecto. Sed in multis aliis, maxime ubi medicamenti portio, vel frequentia nimia fuit, pro aegri mobilitate, singularis, sed satis constans malorum series, IODIZATIO nominanda, supervenit.

Hisce indiciis constat. Pulsus acceleratur, adest tussis sicca, vigilantia, macies rapida, virium jactura. In aliis crura tantum tument, tremores accedunt, indurationes Bronchoceles dolentes, in omnibus fere rapidissima ejus diminutio, modo major, modo minor, inter haec signa: quae tamen statim levantur Iodino suspenso, adjectisque lacte asinino, cinchona, ammonia, opio atque, si opus sit, hirudinibus, fomentis, balneo calido.

Quod ad causam hujus affectus ultimam attinet, inter medicos haud satis convenit. Nonnulli contendunt, aegros dari a quibus

nulla medici prudentia aut artificia effectus memoratos arcere valerent : eosdemque justas semper timoris causas existimandos esse. Alii autem, uti Doctor Manson, affirmant Iodizationem plerumque a dosi justo ampliori originem ducere: quanquam hinc inde exempla e parvulis admodum dosibus excitata videantur, ea tamen aegrorum proprietati seu iodiosyncrasi attribuenda esse, perinde fere ac salivae fluxus e minimis hydrargyri dosibus.

Pharmaceutica et Posologia hujus materiae abunde perplexae redditae fuerunt. Optima autem forma tinctura est, ex uno Iodini in duodecim alcoholis (sp. gr. 852) granis soluto, vel Hydriodas Potassae. Nullae aliae formulae necessariae videntur. In tabulam formulas in quas medici continentis ipsum distraxerunt, conjicere placuit.

	Pars.		Partes.
1. Tinctura Iodini . .	1	ad	2
2. Hydriodas Potassae			

3. Pilulae Iodini . . 1 ad 4
4. Unguentum Iodini . . 1 ad 24
5. Æther Sulphuricus Ioduretus 1 ad 10
6. Æther Hydriodicus
7. Solutio Hydriodatis Potassae 1 ad 14
8. Solutio Hydriodatis Potassae Iodureti
9. Unguentum Hydriodatis Potassae ʒss ad ℥ss adipis 1 ad 24
10. Unguentum Iodureti gastro Iodatis Potassae ex Hydriodatis Potassae ʒi, Iodini ℈, succi gastrici vitulini digere per horas 24 dein adipem suillam adde qt. necessarium.
11. Tinctura dento-Iodureti Hydrargyri . . 1 ad 3
12. Dento Ioduretum Hydrargyri Aethereum
13. Pilulae Proto-Iodureti Hydrargyri
14. Unguentum Doctoris Manson Tincturae Iodini ʒi. Balsami Anodyni ℥i.

Methodus, qua exhibuit Iodinum Doctor Coindet Genevensis, haec est.

Protinus ab initio decem tincturae guttae ex syrupo diluto sufficient, ter in die. Proxima hebdomada quindecim propinentur: tertia viginti propinentur guttae: qua dose continuata, plerumque intra octavam vel decimam hebdomadam amplissimi Bronchocéles tumores evanuere. Hodie Dr Coindet extrinsecus tantum Iodinum exhibere dicitur, quomodo tumorem solummodo discutit, nec unquam Iodizationem superinducit. Brera, Straub, Gairdner, Manson, multique alii medici, hanc notionem confirmant.

DE IODINI IN SCROFULA USU.

Species Scrofulae quibus maxime profuit Iodinum, *simplex* et *mesenterica* sunt. Ratio exhibendi fere eadem est, ac quam su-

pra in Bronchocele scripsimus, eo tantum discrimine, quod in Scrofula, Iodinum saepius in tinctura vel emplastro adhiberi potest. Successus utique non omnibus medicis idem fuit: sed optimi nunc, ut audio, medici multo minora ab Iodino in scrofula, quam quadriennio praegresso sperant. Verum est, Scrofulam mitem cum leni vel nulla inflammatione Iodino perinde ac aliis multis et infirmis remediis, praecessuram esse. Sed si multa adsit inflammatio, verisimile est, medicamentum vehemens, Iodinum mala omnia aggravaturum. Inflammatio igitur contraindicari debet: nec video, hoc statu excepto, cur remedium, quod vires concoquendi corroborat; aliasque functiones excitat, non liberali saltem experimento in hoc morbo subjiciatur. Saepe spem fefellisse conceditur; sed jure optimo dubitari potest, an per tempusculum, quo claruit Iodinum, totidem curationes per alios modos affectae fuerint.

Scrofula mesenterica forsan omnium species est usui Iodini minime accommodata. Nihilominus, ubi actio inflammatoria haud conspicua est, experiri licebit, quum in glandulis mesenterii Scrofulosis perquam lenta ad suppurandum proclivitas sit.

IN AFFECTIBUS SCROFULOSO-SYPHILITICIS.

Professor Brera, cum amico suo Marcolini Iodinum hoc nomine magnopere laudant, plerumque autem tales morbi hydrargyri nimii progenies sunt, vel hydrargyri cum venenis ceteris duobus strumae levisque conjuncti. Si vero puri sint, uti manifesto in exemplis citatis, tum Ioduretum potassae Professoris Brerae, vel pilulae proto-Iodureti hydrargyri optimae erunt formae.

IN AMENORRHOEA.

Iodinum menses torpentes evocare diximus. Cantharidis instar ad genitalia dirigi videtur; sed cum vesicam nunquam afficiat, diverso forte modo operatur; Brera septem tradidit exempla ab Iodino curata. Exhibitio medicamenti nihil a prioribus aliena.

IN HAEMOPTYSI VICARIA.

Objectum est, et recte ab Duncano juniore cujus è diario medico-chirurgico multa ex superioribus desumpta sunt, "Iodenum "in haemorrhagia pulmonum periculosum "videri." Tali quidem morbo haud temere inculcandum est: nec forte memorassem, nisi uti cinerem spongiae vetustioribus scriptis perinde in haemorrhagia supprimenda laudari annotarem.

DE TUBERCULIS SPECIFICIS.

Periculis iteratis tam in Britannia nostra quam in Continenti, Iodinum tubercula discutere nihil probat. Tubercula pulmonum iterum iterumque eo medici aggressi sunt, absorptionem id quocunque modo molituram sperantes : sed haec prae omnibus minime hinc curationi opportuna videntur, quin aegro iisdem affecti gravissime Iodino plecti.

Constrictio ista pectoris crucians cum tussi et spiritu perturbato, quae Idiozatos occupare consuevit, Iodino in morbis pulmonibus valde obstare videntur, praesertim in iis quibus spiritus difficultas, et tussis summae sunt. His Iodinum praescribere, phthisi asthma addere potest. Tubercula, quae in hepate aliisque visceribus gigni solent, minui possunt, nihil tamen video, quod his Iodinum profecisse docet. Experimentum

tamen liberum cuivis est, et absque empirici infamia.

IN SCIRRHO.

In formidando hoc affectu plurima cum Iodino experimenta facta sunt, tam apud nostrates, quam apud continentis medicos: sed plerumque ut mala omnia aggravare reperiatur: Id quidem generalis horum tumorum mobilitas minitabatur: sed hoc quoque, nisi periculi facto, certo statuere nemo potuit.

In Chorea et affectibus spasmodicus Iodinum utile esse Dr Manson reperit.

CONTRA-INDICANTIA.

Iodinum, secundum Doctorem Manson, in graviditate, in Menorrhagia, in morbis pectoris, in lenta febre vel marasmo. Adji-

cerem porro, ubicunque actio inflammatoria nimia esset, viresque aegri debiliores quam quae iodino feliciter resistere posse viderentur.

Prater haec, Iodinum utile nec difficile remediis nostris additamentum existimo. Tempus procul dubio novas vires revelabit, nova consilia de jam notis regendis docebit.

FINIS.

Excudebat Joannes Moir, 1827.